

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp  
Gerhard, Johann**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617681**

Caput CVII. Christus Docet Discipulos Suos Et Modum Et Virtutem  
Precationum, Luc. 11. v. 1.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18203**

ditui vacaverit, & postea autem ad domestica negotia redierit, sicuti Joh. 12. vers. 3. Christus ad easdem ædes rediit, in quibus adhuc Maria habitabat, & cum sorore Martha rem familiarem administrabat. Atque hoc possunt facere omnes homines, cujuscunque status & conditionis, tum rerumpublicarum gubernatores, tum opifices, ut quisque in ea vocatione, in qua à Deo vocatus est maneat, & interim tamen subinde *bonam partem* etiam *eligat*, qua ad auditum verbi divini prope- ret, quotiescunque commodam ejus occasionem habere potest. Nam si dicere velimus cum Monachis, illam esse *meliorem partem*, quæ hominem perfectum reddat; si consortia aliorum vitet, si sibi uni vivat, si nemini prosit, nemini serviat, si laborem ad quem omnes nati sumus fugiat: quid de veteribus sanctis omnibus dicemus, num hosce damnabimus, aut eos deteriorem partem elegisse affirmabimus?

Quin potius dicamus, per hasce duas sorores nobis adumbrari, semper in domo Christi, sive Ecclesia, duo diversa hominum genera inveniri, quorum utrumque Christum colere eique inservire studeat, sed diverso modo. Sicut idem affectus fuit in Martha & Maria, utraque voluit ipsum honorare, utraque suum amorem dignis officiis declarare conata est. Et Martha quidem ad fatigationem usque laboravit, ut hospiti suo Domino probaretur: Maria autem quiescens ad pedes ejus assedit, & sermones ipsius audivit. Cujus vero studium Christus maxime probavit? Mariæ. Ita quidam in Christo colendo valde sunt operosi, omnia ceremoniis implent,

sive per *κακοῦ ἡλίαν* quandam ex Judæis sine assumptæ, sive ab hominibus excogitata. Sicuti Pontificiorum magna est sollicitudo, ad cultum Dei pompose peragendum; hic vexillis per compita discunt, illic suffitum faciunt, alibi noctu excubias agunt, rursus instituunt sacra antelucana, habent suas vespas, jejuniis se macerant, cilicis se induunt, humi cubant, rosaria sua secum portant: ubi ad globulorum numerum suas preces recitant, peregrinando se conficiunt, & mille alia solcite comminiscuntur atque tumultuantur, ut Deo gratum officium præstent. Alii vero, quanquam non prorsus eliminant & abjiciant omnes cremonias; in hisce tamen minimum situm esse arbitrantur. Fundamentum autem suæ salutis unicum collocant in auditum verbi divini: illud recte intelligere addiscunt, illud memoriæ & cordi includunt, in illo se exercent, & vitam suam juxta ejus præscriptum instituere student. Hoc unico se Deo gratum & acceptum cultum præstare sibi pollicentur. Hæc sunt duo diversa hominum genera in Ecclesia Christi. Et quemadmodum Martha intempestive Mariam accusavit coram Christo: ita etiam illi, qui ceremoniis dediti sunt, queruli sunt adversus eos, qui unico auditui verbi inhaerent. Accusant eos, & præ se contemnunt, quasi cultum Dei nimis frigidè peragant. Infimulant eos hæreseos: & non raro, arbitantes se Deo obsequium præstare, ipsos interficiunt. Accidit hoc olim Prophetis, Christo, atque ejus Apostolis. Si simile quid nobis hodie à ceremoniarum Pontificiarum magistris eveniat, eo minus miremur.

## CAPUT CVII.

CHRISTUS DOCET DISCIPULOS SUOS  
ET MODUM ET VIRTUTEM PREGATIONUM,

LUC. 11. v. 1.

## RATIO ORDINIS.

**U**lia Evangelista Lucas hanc historiam præcedenti mox subjungit: idcirco Ego sine contentione statuo eam etiam ratione temporis priorem subsecutam esse, ita ut Christus Bethania digressus, circa Jordanem, quo Johan. 10. vers. 40. reddiit, in loco aliquo secretiore & à turbis remoto, aliquantisper precibus vacarit. Patrem nimirum suum cœlestem pro incremento Ecclesiæ & profectu Evangelii, contra suos hostes Hierosolymitanos invocans. Qua occasione unus ex discipulis ipsius, sive per se, sive reliquorum instinctu motus, ipsum rogavit, ut & sibi & discipulis, idq; exemplo Johannis Baptistæ, certam formulam precationis traderet, qua & inter orandum uterentur, & facilius quod peterent impetrarent. Unde Christus & formam precandi tradidit, & simul de efficacia precum disseruit. Optimo ergo or-

dine hæc ad superiora sequuntur. Etenim, duæ sunt columnæ, quibus totus mundus innitur, ne corruat: purum nimirum Dei verbum, & devotæ preces. Aut, duo sunt præcipua religionis Christianæ exercitia: unum verbi prædicatio, alterum piæ preces. Quibus si sacramenta adjecteris tanquam sigilla verbi, & precum firmamenta, tum totum Christianæ religionis cultum comprehensum tenes. Cum ergo in præcedenti capite de *uno necessario*, nimirum de diligenti auditu verbi divini graviter sit actum: rectissime nunc doctrina de precatione, quæ non minus necessaria est, & de ejus usu, quam magnus is apud Deum sit, subjungitur. Non ergo est dubium, hanc historiam rectè hoc loco in Harmonia positam esse.

PRE-

## PRECUM FORMULA ET EARUNDEM APUD DEUM EFFICACIA.

LUC. II.

1. Καὶ ἐγένετο ὅτι τῷ εἶναι αὐτὸν ἐν τῷ ὄρει τινὶ προσευχόμενον, ὡς ἐπαύσατο, εἶπε τίς τῶν μαθητῶν αὐτοῦ πρὸς αὐτὸν, Κύριε, διδάξον ἡμᾶς προσεύχεσθαι, καθὼς καὶ Ἰωάννης ἐδίδαξε τὸς μαθητάς αὐτοῦ.
2. Εἶπε ἡ αὐτοῖς, Ὅταν προσεύχησθε λέγετε, Πάτερ ἡμῶν ὃ ἐν τοῖς ἔθροισι, ἀγιασθήτω τὸ ὄνομά σου, ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου γεννηθῆτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν ἔθρῳ, καὶ ἄλλα τῆς γῆς.
3. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἡμερῶν δίδε ἡμῖν τὸ κατ' ἡμέραν.
4. Καὶ ἄφεες ἡμῖν τὰς ἀμαρτίας ἡμῶν, καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφιέμεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν. καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν, ἀλλὰ ῥύσαι ἡμᾶς ἀπὸ τῆς πονηρίας.
5. Καὶ εἶπε πρὸς αὐτούς, τίς ἐξ ὑμῶν ἔχει φίλον, καὶ πορεύσεται πρὸς αὐτὸν μεσονυκτίῳ, καὶ ἐπὶ αὐτοῦ, φίλε, λησόν μοι τρεῖς ἄρτους,
6. Ἐπεὶ δὲ φίλος μὲν παρεγένετο ἐξ ὁδοῦ πρὸς με, καὶ ἐκ ἔχῳ ὁ ὄψαθήσῃ αὐτῷ.
7. Κακεῖ δ' ἐσώθεν δοκρυμθεὶς εἶπῃ, Μὴ μοι κόπους πάρεχε, ἥδη ἡ θύρα κεκλεισται, καὶ τὰ παιδία μου μετ' ἐμοῦ εἰς τὴν κοιτῆν εἰσιν, ὃ δυνάμει ἀναστὰς δοῦνά σοι.
8. Λέγω ὑμῖν, εἰ καὶ ὃ δώσει αὐτῷ ἀναστὰς, διὰ τὸ εἶναι αὐτῷ φίλος, δώσει πλεονάζοντα αὐτῷ ἐνεργεθεὶς δώσει αὐτῷ ὅσαυτ' ἠέλει.
9. Κἀγὼ ὑμῖν λέγω, αἰτετε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν, ζητετε, καὶ εὑρήσετε, κρούετε, καὶ ἀνοίγησεται ὑμῖν.
10. Πᾶς γὰρ ὃ αἰτῶν λαμβάνει, καὶ ὃ ζητῶν εὑρίσκει, καὶ τῷ κρούοντι ἀνοίγησεται.
11. Τίνα καὶ ὑμῶν τὸν πατέρα αἰτήσῃ ὃ ἕως ἄρτου, μὴ λίθον ἑπιδώσει αὐτῷ, ἢ καὶ ἰχθύν, μὴ ἀντί ἰχθύος ὄφιν ἑπιδώσει αὐτῷ.
12. ἢ καὶ ἐάν αἰτήσῃ ὄνον, μὴ ἑπιδώσει αὐτῷ σκορπίον;
13. Εἰ ἂν ὑμεῖς πονηροὶ ὑπάρχοντες οἴδατε ἀγαθὰ δέματα δίδόναι τοῖς τέκνοις ὑμῶν, ποσῶ μάλλον ὁ πατήρ ὃ ἐξ ἔθρου δώσει πνεῦμα ἅγιον τοῖς αἰτῶσιν αὐτοῦ.
1. Et factum est, cum oraret quodam in loco, ut cessavit, dixit quidam ex discipulis ejus ad eum, Domine doce nos orare, sicut et Johannes docuit discipulos suos.
2. Et ait illis, cum oratis dicite, Pater noster qui es in caelis. Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, quemadmodum in caelo, sic etiam in terra.
3. Panem nostrum quotidianum da nobis quotidie.
4. Et remitte nobis peccata nostra, siquidem et ipsi remittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo.
5. Et dixit ad illos, quis vestrum habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, et dicet illi, Amice, da mihi mutuo tres panes.
6. Quoniam amicus meus venit de via ad me, et non habeo, quod apponam illi.
7. Et ille intrus respondens dicat, Ne mihi molestus sis, jam ostium clausum est, et pueri mei mecum sunt in cubiculo, non possum surgere, et dare tibi.
8. Dico vobis, etiamsi non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget ac dabit illi quotquot habet opus.
9. Et ego dico vobis, Petite, et dabitur vobis. Querite et invenietis, Pulsate et aperietur vobis.
10. Omnis enim, qui petit accipit. Et qui querit invenit. Et pulsanti aperietur.
11. Quis autem ex vobis pater, a quo si filius petierit panem, num lapidem dabit illi? aut si pisicem, num pro pisce serpentem dabit illi?
12. Aut si petierit ovum, num porriget illi scorpium.
13. Si ergo vos, cum sitis mali, nostris bona dona dare filiis vestris, quanto magis pater vester caelestis dabit spiritum sanctum poscentibus se.

## Periocha hujus doctrina.

Cum ergo Christus preces suas ad caelestem Patrem magno zelo absolvisset, quidam ex discipulis ejus, absque dubio fervore illius colloqui cum Deo accensus, ipse quoque Dominum interpellat, & suo & reliquorum collegarum nomine, dicens: Domine doce nos orare, sicut et Johannes docuit discipulos suos. Recte hoc. Hac enim cura omnium animos tangere debet, ut sciant, quomodo Deus inter precandum sit alloquendus. Etenim qui vel ab homine saltem aliquid petere instituit, is dat operam, quo orationem suam ita componat, ne repulsam patiatur; & quo sublimior est persona, eo magis sumus solliciti, ne alicubi impingamus, aut impudentiore sermone hominem offendamus. At vero per preces loquendum est cum lummo mundi Monarcha, cum rege regum, & domino dominantium: cum divina illa

Harm. Tom. I.

majestate, quam laudant angeli, tremunt potestates. Quis hic audet os aperire? quis verba digna tanta majestate potest invenire: Abraham se indignum censet: quia sit pulvis & cinis. Genes. 2. v. 27. Moses dicit, se esse incircumcisus labiis, Exod. 6. v. 12. Jesaias fatetur, se habere polluta labia. cap. 6. versic. 5. Et hi omnes fuerunt magni sancti. Quid ergo de nobis dicemus? Quomodo nos labia nostra coram Deo aperiemus, ut vox nostra ipsi grata esse queat? Hic ergo venit Christus, nosque solatur & dicit: bono estote animo, Ego vos docebo, quomodo coram Deo Patre meo loqui & orare debeatis. Pharisei solent in plateis ad ostentationem precari: gentes quoque solent βατλολογεῖν, & multa verba fundere: Baalithæ altum clamant, 1. Reg. 18. v. 26. & eo facilius se exaudiri posse sibi persuadent. Sed talis superba & clamosa

Ccccc 4

moſa loquacitas Patri meo non eſt grata, Matth. 6. v. 5. Ibi dicit Pater meus, Ego neſcio quid iſti ſibi velint ſua battologia; non intelligo ipſorum garrulitatem. Ego ergo in compendium vobis contraham ſummam omnium precationum, eamque ejusmodi verbis includam, quæ cœleſti meo Patri & nota ſunt, & grata; ad quæ utramque inclinatur. Magnam ergo revera debemus gratiam huic *discipulo*, quicumque ſane ille, ſive ex numero LXX. ſive alius fuerit, quod occaſionem Chriſto præbuit, hanc formulam precum dictandi. In Papatu circumtulere precationes Brigidæ, promittentes largas indulgentias, qui eas recitarent. Interim orationis Dominicæ proſus obliti erant. Sed nos ſcimus, quod quando recitamus orationem Dominicam, magna prærogativa gaudeamus: ſiquidem in cœleſti audientia ſimul aſſidetis, qui eam nos docuit: idem etiam orationem noſtram commendat, & interpellat pro nobis. Rom. 8. v. 34. 1. Joh. 2. v. 11.

Cum primis vero illud notatu dignum eſt, quod Chriſtus, cum in primo anno miniſterii ſui, Matth. 6. v. 9. tum Apoſtolos tum reliquos ſuos auditores inſtituiſſet, quomodo orare deberent, & hic à diſcipulo rogatus, denuo docere vellet, quomodo orare debeant: non novam aliquam formam tradidit, ſed priorem repetiit. Sic nimirum docere voluit, non opus eſſe, ut quotidie novas formas præcandi quaeramus vel comminiſcamur: nec ingratas fore propterea preces (dummodo cæteris recte precemur) ſi maxime identidem eandem precum formulam repetamus. Et tamen ne de verbis nimis ſuperſtitioſe ſoliciti ſimus. Lucas in hac formula aliqua verba à Matthæi formula mutata protulit. Ut doceat, inter orandum nos non tam de verbis ſolicitos eſſe debere, quam ut ſpiritu & mente oremus: & ut attendamus potius quid oremus, quam quibus verbis. Et quidem in vulgata verſione duæ hæ formulæ precationum multum diſcrepant, atque integræ petitiones, una cum præſatiuncula, in Luca ſunt omiſſæ. Sed nos vulgatam verſionem Pontificiis relinquimus, qui eam ſibi authenticam fecerunt, nos Græcos codices ſequimur. In quibus quo ad ſenſum proſus nihil diſcriminis reperitur inter utramque formulam: tantum duo ſere verba ſunt mutata, quæ tamen in ſenſu coincidunt: & in Luca coronis illa *δοξολογική*, (*quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.*) eſt omiſſa. Verba mutata ſunt hæc. Quando Matthæus nos docet orare, ut Deus det nobis panem quotidianum *σήμερον*, *hodie*: ibi Lucas dicit *τὸ καθ' ἡμέραν*, *quotidie*. Senſus idem eſt. Particula *hodie*, frenum injicit impiæ ſolicitudini, ne nimiam copiam bonorum hujus vitæ corraderenemur. Idem facit particula *quotidie*: ut nimirum tantum petamus, quantum in ſingulos dies ſufficere poſſit. Ideoque etiam articulus *τὸ in neutro*, non autem in maſculino genere ponitur. Alterum mutatum verbum hoc eſt, quod in quinta petitione Matthæus ponit hoc vocabulum *τὰ ὀφειλόμενα debita*: Lucas autem ponit *τὰς ἀμαρτίας peccata noſtra*. Sed recte dicit Auguſtinus, de verbis Dom. quid eſt debitum, niſi peccatum? Quanquam hic etiam alia diverſitas ſe aperit. Matthæus dicit: *ὡς καὶ ἡμεῖς, ſicut & nos remittimus*:

*Lucas vero καὶ ὑμεῖς, ſiquidem & nos remittimus*. Sed ſenſus utriusque in idem recidit. Nam quod in Matthæo ſpondemus & promittimus, nos gratitudinis ergo facturos, id apud Lucam nos jam feciſſe teſtamur. Quapropter certi ſimus, quando hanc præcationis formam recitamus, nos tales preces cœleſti Patri proponere, quæ ipſius filii ſacraſſimo ore ſint benedictæ, ac proinde certam exauditionem ſperemus, ſi ex poſſidente corde proveniant, & fiant per fidem in Mediatorem & Interceſſorem noſtrum Jeſum Chriſtum.

Dicat fortassis quiſpiam. Ergo reliquos precationum libellos omnes abjiciemus: quia certi ſumus hanc orationem in cœlo exaudiri. Abſit, ut in illam opinionem incidamus, quaſi hæc oratio ſola exaudiat. Nam multæ ſunt precationes in Palamis Davidicis, multæ in Prophetis, multæ in Actis Apoſtolicis, multæ in Epistolis Paulinis, quæ quoad verbum cum hac formula non conſonant, & tamen ſunt exauditæ. Matth. 15. verſ. 28. Mulier Chananæa exauditur, & ob ardentem fidem commendatur, etſi hæc formula non ſit uſa. Luc. 18. 14. Publicanus in templo orans, deſcendit juſtificatus in domum ſuam, licet non uſurparit orationem Dominicam de verbo ad verbum. Prodeſt igitur etiam alias habere formas precationum. Hæ enim interdum unam aliquam petitionem orationis dominicæ tractant, eamque verbis & exemplis ſcripturæ latius extendunt, ut ſic animus ad precandum incalſcat. Ideo recte Auguſtinus ſenſit, qui ſtatuit omnium ſanctorum orationes nihil aliud eſſe, quam *pater noſter*: & in hac oratione dominica collectum eſſe quaſi ſucum omnium precationum Ver. Teſt. Imo ſunt aliqui, qui ſentiant vocabulum *collectæ*, quo vulgo preces indigent, hinc originem ſuam traxiſſe, quia Chriſtus in hac orationis formula collegerit, quicquid uſpam bonarum precationum eſſe poteſt in toto terrarum orbe. Illi quoque recte faciunt, qui certi quid à Deo peturi, uni alicui harum ſeptem petitionum id includunt. Quapropter nec eſſe eſt, ut recte precaturus, etiam intelligat, quid precetur, & quomodo intelligenter ſingula ſuis petitionibus includere debeat. In Papatu Monachi commendarunt ſua Roſaria, quæ Pontifex Rom. conſecravit, hominibusque perſuaſerunt, preces ex opere operato exaudiri, ſi ſecundum numerum globulorum in Roſario comprehenſorum Deo annumerentur. Sed hæc deceptio fuit ſatanæ. Preces fieri debent non ex opere operato, ſed cum vera intelligentia. Nam veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. Joh. 4. verſ. 23. Quomodo enim idiota dicet Amen, in precationibus ſi non intellexerit, quid ſit precatus? Itaque omnino nec eſſe eſt, ut veram intelligentiam hujus formulæ precationis habeamus, ſi ea uti velimus. Ne idem nobis hodie Chriſtus obſiciat, quod olim Judæis Jeſ. 29. v. 13. & Matth. 15. v. 8. Populus hic ore ſuo & labiis ſuis mihi appropinquat: cor autem ipſorum longe eſt à me. Et quidem ſuperius cap. LI. hujus Harmoniæ, Pericopa V. ſatis proluxa & accurata hujus precationis expoſitio poſita eſt, quæ piis mētibus ſufficere poterat. Prodeſt tamen theologia candidatos plures, quam unam, & non tantum exqui-

exquisitas, sed etiam succinctas expositiones huius formulæ tenere, ut eas, si opus sit ad adificationem Ecclesiæ producere possint. Mihi vero inter alias multum probatur illa ratio orationem dominicam explanandi, quam magnus noster Lutherus, in quodam tractatu cuidam chirurgo Witebergensi Anno 1535. præscripto, præmonstravit. Ubi monuit, orationis dominicæ petitiones sic ponderandas esse, ut in singulis quatuor consideremus: 1. Ut cogitemus, quid dari petamus. 2. Ut expendamus, quæ mala vel averti, vel nos ab illis defendi petamus. 3. Ut pro bonis acceptis gratias agamus. 4. Ut vitam examinemus, an iuxta petitionem eam instituerimus. Id si factum non sit, confiteamur & deprecemur. Iuxta hunc præscriptum modum brevem enarrationem hic pro simplicioribus instituemus.

Constat autem omnibus, orationem dominicam distribui in tres partes: in præfationem, in septem petitiones, in conclusionem. Quæ licet hic in Luca omissa sit, non tamen ab expositore tacite præteriri debet. Quamquam in publicis Ecclesiæ precibus interdum etiam omittatur: cuius rei causa nemini temere litem movere debemus. Hæc partitio nos admonet, ut in spiritu & veritate oraturi, non intempestive ad Deum irruamus, & ab eo postulemus, da mihi hoc, da mihi illud: sed cum reverentia & filiali timore, tanquam ad venerandum Patrem, accedamus. Et quando cor ita est præparatum, tum sequetur ipsa oratio. Hæc absoluta, non mox nos rursus subducamus, & ad mundana properemus; sed addatur conclusio, qua Dei voluntati permittatur, ut id det quod nomini suo gloriosum, nobis autem salutare esse possit. Simul etiam fidem nostram confirmemus vocula, Amen. Qui enim orat & hæsitat, is nihil accipit à Domino Jac. i. v. 7.

Præfatio ergo orationis dominicæ hæc est. *Pater noster, qui es in caelis.* Hæc præfatione cor ad veram animi devotionem præparatur. Sed quomodo? 1. Cogita ante cuius faciem te listas, & quem alloqui velis. Non regem aliquem aut imperatorem terrenum, sed sacrosanctam Trinitatem, coram qua etiam angeli facies & pedes suos, reverentiæ ergo, contegunt. Jes. 6. v. 2. Quod si ergo quis coram principe verba facturus, eadem diligenter perpendit: quanto magis, si coram divina maiestate perorare velit. Hic enim est qui cor respicit. Spiritus autem sanctus per meditationem verborum devotionem in ipsum cor intromittit. 2. Cogita simul qua fiducia ad hunc Deum accedas. Non dicis, magne, fortis, aut omnipotens (præpotentis enim Epitheton, licet fere omnibus literatis usitatum, mihi erga Deum usurpatum, tanquam insufficiens, sordet) Deus, qui creasti cælum & terram, adeoque omnia sustentas. Hoc enim modo etiam Turca vel Tartarus orare potest: Sed dicis *pater noster*; quia nimirum non venis fiducia propriæ dignitatis, aut priorum operum & meritorum, sed fiducia Christi, Domini & fratris nostri, qui nobis Deum patrem fecit. Johan. 20. v. 17. Sancti sunt in cælis, sed non sunt *pater*: Sol quoque est in cælis, sed nec ipse est *pater*. Icirco hæc non adoramus: sed *patrem*. 3. Interim cave ne securus fias: quia additur, *qui*

*qui es in caelis.* Non eo sensu, quo aliqui *ερεγοδιδοσκαλοτες* statuunt Deum procul abesse, liquidem in ipso vivimus, movemur & sumus. Sed quia tanta ipsius & maiestas, ut cælum sit sedes, & terra scabellum, Jes. 66. versic. 1. quia ubique præsens adest, omnia in sua manu habet, omnia videt & novit, & preces suorum exaudit, quod nullus sanctorum facere potest. Hæc est summa præfationis, sequuntur septem petitiones.

I. Prima petitio est, *Sanctificetur nomen tuum.* *Nomen Dei* est bona fama de ipso, quæ sparsa est in ipsius verbo. Quemadmodum enim Adamus in principio cuius rei suum dedit nomen, ex quo cognoscitur: ita Deus in sacris Bibliis, in Lege & Evangelio, de suo nomine manifestavit, quod sit zelotes & acerrimus vindex adversus impios & impenitentes: bonus autem, beneficus & misericors, propter filium, erga poenitentes & credentes. Quapropter 1. petimus ut hoc nomen Dei *sanctificetur*, hoc est, ut quemadmodum in se sanctum, & purum est: ita etiam purum verbum inter nos conservetur: ut det Deus concionatores fidos, zelo præditos, recte secantes verbum veritatis: ut quos dedit, etiam conservet & tueatur: commendata etiam sibi habeat templa & scholas nostras, quo puritas verbi etiam ad seram posteritatem propagetur. 2. Deprecamur, ut avertat falsam doctrinam: ne per hæreticos, phanaticos, Jesuitas, Sacramentarios, vel consimiles erroneos doctores, sanctissimum ipsius nomen prophaneur, aut ignominia afficiatur: custodiat concionatores nostros, ne per contentiones aut vitam impiam dehonestent nomen Dei: præcaveat ne inertes & infidi pseudoprophetae nobis dentur: ne nos gravet ejusmodi concionatoribus, quos absque fructu & emendatione audiamus. 3. Inde etiam gratias agamus, quando nobis dedit purum verbum, cum salutari usu Sacramentorum secundum Christi institutionem. Circumferamus oculos nostros in mundo, non fecit taliter omni nationi. Psalm. 147. versic. 20. Videmus alibi homines sedere in tenebris, alicubi ingruere hæreses, persecutiones, & imminui exercitium purioris doctrinæ. Nam ubi homines beneficium puri verbi non grata mente agnoscunt, ibi Deus immitit vicissitudines lucis & tenebrarum, permittit ut fidi doctores eripiantur, & in ipsorum locum succedant *ερεγοδιδοσκαλοτες*, qui multum turbant & parum ædificant. 4. Ac simul etiam perpende, qualem tu te geras erga nomen Dei. Petis quidem ut Deus purum largiatur ministerium: sed quando illud dedit, num etiam templum ingrederis? an diligenter verbum audis num etiam humiliter accedis ad Absolutionem? an in vera poenitentia uteris sacramentis? Et si concionator arguit peccata tua ex lege, an etiam patienter id fers? Si Evangelium docet, an non eo uteris ad licentiam carnis? Quomodo apud te sanctificatur nomen Dei? Vide ne illud blasphemus sive verbis, sive factis: ne idem tibi objiciatur, quod Deus olim Judæis objecit, Ezech. 36. v. 22. vos nomen sanctum meum polluitis inter gentes, ad quas intrastis.

II. *Adveniat regnum tuum.* *Regnum* dicitur tractus quispiam vel regio, in qua quis jus habet imperandi:

imperandi: sic est regnum Germaniæ, regnum Hispaniæ, regnum Angliæ. Ubi ergo est *Dei regnum*? Possem sane respondere: ubique. Sed si quis veram notitiam regni Dei habere velit, is respiciat tres Symboli Apostolici articulos: juxta illos triplicem statum inveniet regni Dei. In primo articulo habetur *regnum potentie*; quia omnes creaturas creavit ideo etiam omnium est Dominus, iisque potenter dominatur, adeo ut etiam diabolus coram ipso genua flectere cogatur. Phil. 2. v. 10. In secundo habemus *regnum gratiæ*. Nam cum homo, nobilissima Dei creatura, ab ipso defecisset, Christus humanum genus reparavit, ut ipse illud regeret per sanctum suum Spiritum ad salutem. Cum autem hoc regimen diutius durare non debeat, quam usque dum omnes hostes subjiciantur Christo, tum enim ipse regnum tradet Patri. 1. Cor. 15. v. 24. ideo in tertio articulo etiam traditur *regnum gloriæ*, quod administratur in cælo inter sanctos. In hac ergo petitione. 1. pro quoniam regno quis orat? Pro omnibus tribus. Nam qui orat, est in *regno potentie*, ac proinde petit, ut Deus sua protectione ipsum tueatur & gubernet. Et licet Deus nobis constituerit regem, Psalm. 2. v. 6. quia tamen nemo propriis viribus ad eum venire potest, petimus ut Spiritus Sanctus per verbum & sacramenta nos regat, ac per poenitentiam, fidem & novam obedientiam nos introducat in *regnum gratiæ*, atque efficiat quo pro veris incolis Ecclesiæ in hac vita agnosci possimus. Denique solliciti sumus etiam de *regno gloriæ*, ut olim ad vitam æternam perducamur. Juxta illud Psalm. 23. v. ultim. Bonitas & misericordia tua persequentur me, omnibus diebus vitæ meæ. Et habitabo in domo Domini, in longitudine dierum. 2. Quia Satanas per mundum & carnem semper nos ad se pellicere, & à rege nostro Jesu Christo per peccata & impoenitentiam abducere conatur, deprecamur ne id fiat, sed ut Deus evertat regnum satanæ, ut carnem nostram compeſcat, ne diabolus vel in ea vel per eam dominetur. Et quandoquidem Deus semper nobis offert suum regnum & porta gratiæ semper patet, det ne illud contempnamus, aut negligamus, prout fatuæ virgines fecerunt. Matth. 25. v. 11. 3. At vero simul perpende, an Deo etiam gratias agas pro eo, quod te in juventute tua cum id neque peteres neque promeritus esses, exemit ex regno satanæ, in quo laqueis mortis tenebaris & ducebaris, & transtulit te in regnum filii sui dilecti, in quo habes redemptionem & remissionem peccatorum, cum parte fortis sanctorum in lumine. Col. 1. v. 12. quod tenon Turcam, non Tartarum, non Judæum; non reprobum deleruit, sed membrum sanctæ suæ Ecclesiæ fecit. Hoc beneficium Dei majus est, quam ut per omnem nostram vitam digne pro eo gratias agere possimus. 4. Ac simul etiam considera, qualem te geras erga Spiritum sanctum quando tecum agit, ne denuo ex hoc regno te subducas, an ei resistas? an ipsum contristes? an exacerbis, ut fecerunt Judæi? An vero suggestionibus, monitionibus & doctrinæ ipsius locum præbeas, ut *regnum Dei*, ad te venire possit. Et ubi intellexeris adhuc multa tibi deesse, illud agnoscas, atque tanto ardentius ores ex Psalm. 51. vers. 12. Spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne pro-

jicias me à facie tua Domine, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

111. *Fiat voluntas tua.* *Voluntas* dicitur omne id, quod quis verbis mandat, & aliis testatum facit, sibi illud gratum & acceptum esse. Dum ergo Deus verbum dederit, in eoque voluntatem suam manifestaram fecerit: utique ei nos subjiciamus æquum est. Et sane una tantum atque immutabilis est Dei voluntas: docendi tamen causa distinguitur: in credendam, quando in verbo patet, quomodo erga nos sit affectus: in faciendam, de qua in Decalogo nos instituit: & in patiendam, quando crucem nobis pro bene placito suo immittit. Et quidem voluntas in cælo apud angelos fit perfecte tota die: hic vero orare docemur, ut *quemadmodum in cælo fit, sic etiam in terra fiat à nobis.* Hic quoniam apud nos multa impedimenta incidunt, 1. petimus, ut Spiritu suo sancto ita nos gubernet, quo quodcumque ipsi Deo placet in negotiis tam fidei, quam vitæ & crucis, idem nobis placere patiamur. Si velit nos divites, si pauperes esse: si velit nos imperare, vel subjici: si velit sanos, vel agrotos esse: si viduos & orbos velit, ut in iis omnibus ipsi, pro liberrima ejus voluntate, prompte obtemperemus: prompte credamus, faciamus, patiamur. Ipsi enim est dare & velle & perficere, pro bona sua voluntate, Phil. 2. v. 13. Petimus ut in cruce semper cum filio dicere possimus. Matth. 26. v. 42. Pater mi, tua fiat voluntas: 2. Quoniam Satanas, mundus & propria caro nos sæpe contumaces & impatientes reddunt (est enim cor hominis prævium & inscrutabile. Jerem. 17. v. 9.) rogamus, ut illud Deus evertat. Videmus quomodo homines de voluntate Dei credenda dubitent, sæpe contra disputent, sæpe eam persequantur. An non disputatur inter Pontificios & Lutheranos, an Deus nos velit per fidem tantum salvare, an etiam per operam? An non inter Calvinianos & Nos disputatur, an Christus sub pane cœnæ velit & possit corpus suum nobis dare? Rogamus ergo ut Deus talem credendi difficultatem à nostris Ecclesiis avertat; ut quoniam in verbo voluntatem suam revelavit, eamque juramento confirmavit, nobis det oculum videntem & aurem audientem. Proverb. 20. v. 12. Videmus quoque quomodo homines in voluntate faciendâ legnes sint & remissi: ne nos tales deprehendamus, id deprecamur. Etenim servus sciens voluntatem Domini, & non faciens, multis vapulabit. Luc. 12. v. 47. Neque omnis qui dicit Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris cœlestis. Matth. 7. v. 21. Videmus etiam quomodo homines in cruce murmurent, recalcitent, neque patienter sese cruci submittant: cum tamen novissime deberent, etiam capitis capillos numeratos esse, quorum ne unus quidem defluat citra voluntatem patris cœlestis. Matth. 10. v. 30. Talem ergo impatientiam, Christianis indignam, deprecamur. 3. Quando vero sentis Deum per spiritum sui gratiam ministerio verbi hoc apud te effecisse, ut aliquo modo te ipsius voluntati subjiceres, & idem cum Deo & velle & nolle incipias, tum ipsi pro hisce primitiis gratias age, & ut porro idem perficere largiatur pete. 4. Simul tamen te ipsum examina, quam languida sit hæc tua parendi

parendi voluntas, annon multoties te Dei voluntati opponas. Hoc si fiat, humilis agnosce confitere, corrigere stude, veteremque tuum Adamum sic alloquere: o tu segnis caro: quæ etiam, quando spiritus promptus est, semper tamen retrospicis, cogita quis finis tibi propositus sit. Annon in cælum & ad vitam beatam tendis? At vero *in cælo* semper sit Dei voluntas ab angelis. Ad horum confortium si olim admitti cupias, necesse est, ut in hac vita bonum specimen promtæ tuæ voluntatis erga divinam voluntatem edas. Adamus talis fuit ante lapsum, ubi ipsius voluntas per omnia conformis fuit voluntati divinæ. Ad eandem perfectionem si redire cupias, mature voluntatem tuam rursus eo inclina.

IV. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Postquam Deo suum tribuimus, quoad nomen, regnum & voluntatem, jam ad nos descecit oratio, ut nobis necessaria petamus. Nec patiamur nos eo adduci, ut cum quibusdam phanaticis putemus, hæc corporalia dedecere Deum, ut ab ipso ea petamus, nostrum esse, ut ipsi ea nobis acquiramur. Unde multi Patres hanc petitionem spiritualiter explicarunt, de pane spirituali & cælesti. Sed quia totus hic mundus Dei est: utique etiam hæc mundana bona ab ipso petere debemus. Nostrum quidem est laborare, à Deo autem benedictionem petere debemus. Et licet multis indigeamus, Christus tamen ea omnia hic Hebræa phrasi *panis* nomine complectitur: quia *panis* significat omnia, quæ ad vitæ sustentationem faciunt. Itaque 1. petimus à Deo corporis sanitatem. Nam labor est medium per quod panis paratur: ægri autem non possunt laborare. Petimus etiam parentibus nostris vitam prorogari: Quibus enim familiis Deus bene vult facere, eorum parentes diu superflites esse sinit. Oramus etiam pro pio magistratu: quia in bello *panis* & omnia quæ possidemus eripiuntur. Petimus autem non totum mundum, sed panem *quotidianum*, non avaritiæ indulguri, sed eo quod Deus dederit contenti futuri. Eundem insuper petimus *nobis*, hoc est, quisq; pro se & pro proximo suo orat. Ac proinde illi, quibus Deus multum dedit, si habeant quantum sufficit, solliciti etiam sint pro proximo egeno. 2. Deprecamur, ut Deus avertat corporis ægritudinem, discordias, seditiones, bellum: ut quoniam *quotidiano pane* contenti esse debemus, animum nostrum inclinet in testimonia sua, & non in avaritiam. Psalm. 119. v. 36. Est enim quæstus magnus pietas cum animo sorte sua contento. 1. Timoth. 6. v. 6. Cumque multi ob terrena bona cælestia amiserint, ne id etiam nobis eveniat deprecamur. Neque enim in abundantia cujusquam vita ejus est, ex his quæ possidet. Luc. 12. v. 15. 3. Quando vero Deus liberaliter dedit panem, pro eo etiam gratias agamus. Quot enim homines inveniuntur, qui si non cum paralytico Johan. 5. v. 5. triginta & octo annos decumbunt: in continua tamen infirmitate deprehenduntur? Quot item parentibus orbi pupilli inveniuntur, quibus molestissimum accidit inter peregrinos educari? Quot Christiani duos habent magistratus, qui ipsis non tantum corporalia auferunt, sed etiam purum Dei verbum? Si itaque tu firma frueris valetudine: si parentes tuos ha-

bes tibi necessaria suppeditantes: si sub pio aliquo Josia vivis: pro hisce beneficiis Deo gratias age, ne demum carendo experiaris quanta illa bona fuerint, quæ possidens nunquam agnovisti. 4. Quisque etiam perpendat qualiter vivat. Annon propriam corporis sui valetudinem oppugnet ebrietate, commestationibus, scortatione? Annon parentes suos ad iracundiam vel animi mororem provocet, unde vitæ ipsorum cursus ante tempus abrumpatur? Annon absque justa causa magistratum suum piæ exasperet? Annon injustis usuris sibi ipsi contra Dei voluntatem *panem annum* rapiat? Talia & consimilia si in se deprehendat, iis se hæctenus peccasse agnoscat, & in posterum vitam emendet.

V. *Et remitte nobis peccata nostra.* Insignis hæc est petitio, quam Augustinus vocat asyllum Ecclesiæ. Neque enim dies abit, quo non coram Deo peccemus. Et nos quidem peccata & lapsus nostros facile oblivione obliteramus: sed non idem fit apud Deum. In vivacissima enim Dei memoria quasi in codicillis assignantur, & in novissimo die, quando libri aperientur, Daniel. 7. v. 10. cuius prælegendur: chiographum quoque quod nobis contrarium est, Col. 2. v. 14. nos vexabit, nisi cruci Christi affixum è medio tollatur. 1. Petimus igitur peccata nostra contra Legem Dei omnia, quæ pane infinita sunt, nobis gratis remitti; & quia non habemus unde satisfaciamus, sanguine Christi indui, ne in novissimo die cum ignominia nobis objiciantur. Et quia nostris peccatis etiam pœnas nobis attrahimus, etiam has nobis condonari, aut certe mitigari, petimus, licet probe eas meriti simus. 2. Precamur, ut avertat Deus, ne securi fiamus qui peccata nostra non agnoscamus, & debitum illud de die in diem crescere patiamur: ne verbum & Sacramenta cum Absolutione, per quæ remissionem peccatorum impetramus, negligamus: ne odio prosequamur proximum, aut iusto rigidiores simus in vindicandis nostris offensis, quo ipso etiam nostram remissionem retardamus. 3. Porro, peccatorum remissionem consecutus non obliviscaris gratitudinis. Cogita ipse, quanta hæc & quam inenarranda sit Dei bonitas, quod tam facile, tam clementer remittit peccata in suam summam majestatem commissa. Bone Deus, quam difficiles sunt homines semel offensi, antequam offensam condonent. Et Deus, si maxime dixerit impio: Morte morieris: tamen si egerit pœnitentiam à peccato suo, & iudicium atque justitiam fecerit, vita vivet & non morietur, nec peccati ipsi imputabuntur. Ezech. 33. v. 14. Et in illa gratitudine nemo obliviscatur, quod hic dicitur: *siquidem & ipsi remittimus omni debenti nobis.* Facile in vita humana incident offensiones. Quisque igitur meminerit, se in precatione dominica seipsum Deo obligasse ad earum condonationem. Et quia hæc herbula non facile creseit in omnibus hortis, quisq; Deum tanto ardentius roget, ut is tale cor largiatur, quo id facere possit. 4. Quin & ipse examina cor tuum, qualis tu sis in agnitione tuorum peccatorum: utrum etiam serio petas peccatorum tuorum remissionem, sicut Manasses & Petrus: idque in eum finem ut cum Deo summo bono reconcilieris. Plerique enim magis postulant remissio-

remissionem pœnæ quam culpæ. Cogita etiam, quomodo cor tuum affectum sit erga proximum: num etiam placabilis sis erga ipsum, sicuti Josephus fuit erga fratres culpam deprecantes. Genes. 50. v. 19. ne fortassis contra te ipsum petitionem hanc producas, ut quemadmodum tu rigidus exactores debitorum erga proximum, ita eundem rigorem quoque Deus adversus te exercent. Matth. 18. v. 35.

VI. *Et ne nos inducas in tentationem.* Deus neminem tentat ad malum. Jacob. 1. v. 13. sed tamen interdum tentat, ut fides nostra probetur, sicut in Abrahamo factum, Gen. 22. v. 1. & in muliere Chananaea. Matth. 15. v. 22. Hic vero multorum fides deficit. Maxime si accedant Satanas, Mundus, Caro, quæ nos tentant, ut à Deo abducant. Sicut hoc factum est Judæ, cui diabolus in cor immisit, ut traderet Jesum, Joh. 13. v. 2. Sed quia nihil possunt tres illi capitales hostes sine Dei permissione, ut patet ex Job. 1. v. 12. Ideo Christus valde oramus, ut Deus nos inducas, quasi hoc modo i. peteremus. Ah mi Deus, Diabolus circuit, tanquam leo rugiens, quærens quem devoret: 1. Pet. 5. v. 8. & totus mundus in maligno positus est, 1. Joh. 5. v. 19. ad hæc caro est infirma, Matth. 26. v. 41. Et licet nos stemus in procinctu, sine tua tamen gratia parum aut etiam nihil efficiamus. Tu ergo nos custodias, tum fortunæ rum infortunii tempore, ne labamur: & quia fidelis es, nec quenquam supra vires tentari pateris, id eo fac cum tentatione proventum, ut sustinere queamus. 1. Corinth. 11. vers. 13. 2. Deprecare, ne Deus te tradat gravioribus perturbationibus mentis, tanquam violentis rapidisque gubernatoribus, illudendum & ex carnificandum. Sicuti David precatus est, Psalm. 19. v. 14. A superbis prohibe servum tuum, ne dominantur mihi: Tunc perfectus ero, & mundus ab impietate magna. 3. Gratias etiam Deo age, quod tamen piorum curam habet, non facile quempiam deserit, utcumque multi sese indignos ipsius protectione gerant, quod cancellos circumdat Satana, & limites ei præscribit, ultra quos tentando progredi non audeat. 4. Cave ne te ipsum tentes, neve pravas tuas cupiditates & cogitationes sequaris. Vere enim Jacobus dixit cap. 1. v. 14. Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero consummatum, generat mortem. Et quicumque sit concupiscentiæ suæ indulget, is proprias evertit suas preces.

VII. *Sed libera nos à malo.* In scriptura Diabolus *malus* dicitur, Matth. 13. v. 38. quia is author est & causa omnis mali. Hujus Christus nos in omni malo meminisse vult: eo quod facile culpam mali conjiciamus in homines, ut jam taceam quosdam non sine blasphemiam mali culpam rejicere in Deum. Post Diabolum *malum* dicitur omne id, quod nobis nocivum est, sive in corpore, sive in fama, sive in vita, sive in anima. Unde etiam dies mali dicuntur, Eph. 5. v. 16. Et Paulus Roman. 7. v. 21. malum carni nostræ ob peccatum adjacere faretur. Unde etiam multa nobis mala ex inopinato, etiam quando vel maxime nobis ipsis tuti videmur, accidunt. Sicut Heli, qui cecidit de scabello. 1. Sam. 4. v. 18. Mephiboseth, qui factus est

claudus. 2. Sam. 9. v. 13. illis decem & octo super quos turris cecidit in Siloe. Luc. 13. v. 4. 1. Petimus ergo *liberari à malo*. Non, ut nullum omnino malum ingruat. Neque enim in paradiso, sed in mundo vivimus, in quo vita nostra est militia super terram, & omnes dies nostri, tanquam dies mercenarii. Job. 7. v. 1. ita ut omnes cum Jacobo conqueri cogamur, dies peregrinationis nostræ esse paucos & malos. Genes. 47. v. 9. Quapropter frustra in hoc mundo felicitatem absque malo expectamus. Sed idem petimus, quod Christus dixit Joh. 17. v. 15. Non rogo pater, ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos à malo. Item petimus, cum ipse optime norit, quam infirma sit nostra natura, ut ipse nobis assistat, quando malus diabolus, malus mundus, mala caro, nos impugnant. Parentes & amici id præstare nequeunt. Proinde petimus, ut Deus id faciat. Cumque tota hominis vita, imo totus mundus vitreis fenestris similis sit, ubi uno orbiculo facto, mox alius frangitur: ideo simul oramus, ut Deus non tantum per omnem vitam bona nobis communicet, sed etiam salutarem vitam exitum nobis largiatur. Beata enim mors, & omnis mali finis, & æternæ felicitatis initium est. 2. Deprecamur omnia mala in corpore & anima, in fortunis & fama; qualia sunt potissimum peccata & opprobrium, quod inde enascitur. Maxime deprecamur, ne impuri & mali spiritus nos exagitent sub exitum vitæ. 3. Gratias age Deo, quod is te tuetur, quod à Satana non præcipitaris in malum & improvisam mortem, aut in æternum exitum: Quoties vides furem suspendio, homicidam gladio, latronem rota perire, Deo gratias age: quod te tuosque à consimili malo custodierit. Quod enim uni accidit, id cuivis accidere potest. 4. Cave ne te ipsum præcipites in malum, quod faciunt illi, qui trahunt iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi funibus plausri peccatum. Jes. 5. v. 18. Hoc quicumque unquam fecit, is petat remissionem, atque emendet.

Hæc sunt septem illæ Petitiones, à Christo nobis ad precandum præscriptæ: quibus inclusa sunt omnia necessaria, quibus homo Christianus indiget, & ad temporalem & ad æternam salutem. Conclusio orationis Dominicæ hic à Luca ommissa est, sed pie ex Matthæo reassumi potest. Neque enim vult Christus, ut mox abrupto cursu orationis sine omni devotione à precibus diffugiamus. Sed quando jam absolvimus hanc precationem, tum hæc clausula 1. nos monet, ut retrospiciamus, an etiam satis devote oraverimus; quia collocuti sumus cum eo, cujus inest omne *regnum, omnis potentia, omnis gloria*. Et si qua in parte à nobis aberratum est, ut lingua præcurrit mentem, ut os locutum sit sine attentione cordis, preces illas corrigamus, & attentiores repetamus. 2. Monet, si precando quid obtinimus, in quem finem id dirigere debeamus. Petimus panem quotidianum, remissionem peccatorum, liberationem à tentationibus & malis. Si ergo hæc à Deo impetraverimus, quomodo iis utemur? Non ad licentiam carnis: sed ut *πολιτευμα* nostrum retineamus in *regno Dei*, tam in regno gratiæ, quam *gloriæ in secula*. 3. Maxime autem conducit hæc orationis ad confirmandam fidem nostram, si non statim post absolutas preces exaudimur. Quidam enim

enim

enim animam abiciunt, si non è vestigio petita accipiant. Sed hic animus ad tranquillitatem est componendus, ut quis ita cogitet: Ego oravi, & omnes meas angustias in sinum Dei effudi, totamque rem in ipsius manus resignavi. Jam alacris abibo ad operas meae vocationis, absque omni sollicitudine, committens omnem eventum Deo. Etenim ipsius est regnum; ipse regit omnia pro beneplacito voluntatis suae. Reget ergo etiam mea postulata, ad suam gloriam & meam salutem. Ipsi etiam est potentia. Quis voluntati eius resistet? Omnia enim quae voluit fecit in caelo & in terra. In ipso ergo sum securus. Ipsi denique est etiam gloria. Ideo suis promissis non deerit. Alias laboraret de veritatis testimonio. Quapropter certus sum, quod me non deseret. Amen. Certus sum, me impetraturum ea quae petii: si non ad voluntatem, certe ad utilitatem & salutem.

Talis aliqua simplex ratio meditandi precationem dominicam Idiotis est praescribenda: & sunt etiam pueri a suis faciendi, ut dicant verba ponderare & expendere. Nec ququam debet absterere temporis iactura (ut quibusdam videtur) si hisce paululum immoretur. Etenim diurno labori Deus tanto plus benedicet. Aut si omnino parum temporis ad meditandum superest: vel salutem quis singulis diebus in hebdomada unam petitionem dicto modo examinet, & re ipsa experietur, talem meditationem suo fructu minime carere.

Haecenus formulam precationis breviter exposuimus. Quia vero doctrina precationum sic comparata est, ut non in scientia tantum consistere, sed in *πράξει* & usum transferri debeat. Idcirco Servator noster non eo contentus est, quod veram precandi rationem docuit, sed pergit & discipulos etiam de usu instituit, quem semper in Ecclesia sua vigere vult. Idcirco in primitiva Ecclesia admodum bene ordinatum fuit: quod duo haec, doctrina & exercitium precandi, fuisse semper conjuncta. Etenim exercitium precandi, ubi doctrina deest, corrumpitur: rursus doctrina precandi, sine exercitio & praxi, nihil prodest. Quapropter cum in primitiva Ecclesia vigerent persecutiones, pestes, terrae motus, tempestates, homines ad concionem sunt convocati, sermo de diligenter & devote Deo invocando est habitus; postea vicinae Ecclesiae interdum sunt convocatae, & litaniae simul atque processiones instituta, sicque id, quod ex verbo propositum erat, in actum est traductum. Hoc exercitium Deo placuit, unde & Ecclesiam gratia sua dignatus est, ut illa creverit, & in tranquillum statum posita fuerit. Postea sub Papatu opus precandi remansit sine doctrina, illudque multiplici superstitione est contaminatum. Sibi enim homines persuaserunt, preces tanquam op<sup>o</sup> operatum Deo gratas esse, si certo tempore circumirent, si sacramentum simul circumgestarent, si longa Rosaria recitarent, si suffitu aliquo Deum placarent, si omnes Divos caelites invocarent, ut sua intercessione preces suas Deo commendarent. De tali cultu Deus jam olim pronuntiavit: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longe est à me. Frustra me colunt docentes mandata hominum. *Jes. 29. v. 23. Matth. 15. v. 8.* Apud nos nunc, Dei beneficio doctrinam

Harm. Tom. I.

precationum habemus puram & incorruptam: sed metuendum est, ne postquam opinio meriti jam est exempta, exercitium apud multos frigeat. Quapropter prodest attendere observare, quomodo Christus, tum hoc in loco, tum alibi, doctrinam & *πράξιν* precationum conjungat.

Nam quamprimum discipulos formulam precandi edocuerat, mox eosdem ad *πράξιν* & usum exhortatur. *Ego dico vobis: petite & dabitur vobis.* Haec verba magnam habent emphasin quasi diceret: Quidam vestrum audierunt caelestem illam vocem dicentem. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Audiat ergo me dicentem. Quid vero dicis optime Iesu? *Ego* qui in salutem vestram de caelo descendi: *Ego* qui Salvator vester sum & Redemptor, *dico vobis*: si quid à Deo fonte & largitore omni boni impetrare velitis: *petite, quarite, pulsate*; tum enim *dabitur vobis, aperietur & invenientis.* Hisce tribus verbis quasi processum & modum precandi indicare voluit. Necesse enim est, ut & cor, & os, & manus precantium informetur. Ante omnia cor ad precandum preparari debet. In hoc enim vere diversi sunt affectus, quorum alii hominem ad precandum incitant, alii remorantur. Ergo homo cor suum eo inducat, ut *quaratur*, hoc est, ardenti studio & summo desiderio eo feratur, quo certi quid à Deo experat. Postmodum etiam os est instituendum, ut conceptis verbis à Deo aliquid *petat*: sicut etiam David dixit *Psal. 77. v. 2.* Voce mea ad Dominum clamavi: voce mea ad Deum, & intendit mihi. Denique etiam manibus *pulsare* debemus. Quo verbo assiduitas & quasi importuna postulandi perseverantia denotatur. Neque enim manibus nostris ostium caeli pulsare poterimus. Et tamen antiquitus hic gestus in ardentioribus precibus adhibetur, ut precatores manus suas levarent. *Exod. 17. v. 11.* dunt Moses levat manus vincit Israel. Et Paulus dicit *Hebr. 12. v. 12.* Remissas manus & soluta genua erigite. Idem vult *1. Tim. 2. v. 8.* ut levemus puras manus sine ira & disceptatione. Nam qui levant manus sanguine foedatas, eos Deus exaudire renuit. *Ies. 1. v. 15.* Quicumque ergo sic cor, os & manus suas ad precandum componit ei Christus hic amplissimam promissionem dat de exauditione. Et ne quis putet, hanc promissionem saltem de Apostolis intelligendam esse, eam etià ad omnes homines extendit, dicens: *Omnis enim qui petit, accipit. Et qui quaerit, invenit. Et pulsanti aperietur.* Rursus tria haec verba conjungit, ut innuat caelestem patrem debite & diligenter, atque ex toto corde, precibus quaerendum & sollicitandum esse, secundum praescriptum verbi sui. Idcirco illa particula *Omnis*, sic accipienda est, quod quoad exauditionem à Deo nemo hominum excludatur, dummodo petat juxta voluntatem Dei. *Joh. 16.* Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. *Jacobus autem dicit, cap. 4. v. 3.* Petit, & non accipitis: eo quod male petatis. Si Christus quempiam toto vitae suae curriculo multis laboribus, variis periculis, & non sine vitae discrimine ad poenitentiam quaesivit, & vix tandem invenit: quid mirum talem vicissim, qui tepide & remisse Deum suum, & eundem fortassis plus in deliciis & vanitatibus mundi, quam in verbo quaerit, non invenire ea, quae ab ipso petit? Et haec

Dddd

Et haec

Et hæc quidem de mandato Christi, quoad *πράξις* & usum precationis.

Excitare debet hæc consideratio mandati Christi, omnes vere Christianos, iisque animum addere, ut confidenter illud exequantur. Multorum enim hominum ea est sive impietas sive foecordia, ut preces non magnopere necessarias, fortassis etiam parum utiles esse arbitrentur. Iuniores & pueri ex foecordia non libenter orant, quibus videtur orare difficilius esse quam arare. Senioribus autem interdum Diabolus imponit huiusmodi cogitationibus: Quæso quid opus est orare, cum Deus ab æterno disposuerit, quid cuivis dare velit? Et in eo non mutatur: Mal. 3. v. 6. Ego Dominus, & non mutor. An non turpe foret ipsum totius orbis Monarcham à misero homine inflecti? Hæc sunt satanæ stratagemata, quibus se in angelum lucis transformat, ut eo prætextu nobis è manu eripiat præcipua arma, quibus contra ipsum in hoc mundo pugnare debemus. Preces enim & lachrymæ sunt arma Ecclesiæ veræ.

Sæpe igitur nobis ipsis ob oculos ponere debemus cum mandato exemplum filii Dei, Domini nostri Iesu Christi, qui non tantum hoc loco oravit: sed sæpe numero etiam integras noctes precationibus inlumisit. Quis vero dicet æternam Patris sapientiam, circa res inutiles & non necessarias occupatam fuisse? Quod Dei dispositionem, ordinationem vel prædestinationem attinet, sciendum est: Deum non tantum prædestinare nos ad finem, sed etiam ad media, quæ ad finem illum deducunt. Sic salvandos ab æterno prædestinavit ad vitam æternam; sed simul eosdem ordinavit ad auditum verbi, pœnitentiam, fidem & perseverantiam, quæ media sunt consequendæ vitæ æternæ. Hæc si quem Deus neglecturum ab æterno prævideat, non est quod is se ad salutem prædestinatum speret. Sic si quid Deus decrevit, quod alicui dare velit, simul etiam decrevit, quod propterea orare debeat. Exemplo res erit illustrior. Decreverat Deus quod Abrahami semen multiplicare velit sicut stellas cœli & arenam maris. Insuper hoc decretum per promissionem Abrahamo revelaverat Genes. 15. vers. 12. Post hanc promissionem duxit Isaac uxorem sterilem: sed pro ea oravit Dominum, qui eam exaudivit, atque sic Rebecca concepit. Gen. 25. v. 21. Num hic dicam: Quanam necessitas urisit Isaacum ut oraret? quasi vero Deus promissionem suam non exoluturus fuisset, sine precibus Isaac? Aut anne Isaacus Deum suis precibus mutavit? Respon. Utique quod Deus prædestinaverat & prædixerat, explendum fuit? Sed idem Deus, qui prædestinaverat impletionem promissionis suæ: prædestinavit etiam modum & media, nimirum preces, per quas finis ille ad impletionem adduceretur. Has preces si Deus Isaacum intermissurum prævidisset, etiam præordinationem illam intermississet. Sic dicitur: Flectitur iratus voce rogante Deus. Non quod per orationem det, quod alias daturus non esset: sed quod det per orationem illud, quod sine ea daturus non erat. Sicut ergo Deus vult frumentum dare ex agris, sed simul vult agricolam semen spargere: ita etiam vult Deus dare omne bonum, sed idem vult etiam nos id ab ipso petere. Hoc ergo Christi mandatum non est negligendum.

Quinimò hoc mandatum Deus à suis filiis non minus stricte observari vult, quam reliqua sua præcepta: & minatur tum in Psal. 79. v. 6. tum Jer. 10. v. 25. quod eos, qui non orant non pro filiis agnoscat, sed pro gentibus habeat, in quas iram & indignationem suam effundere velit.

Debet quoque nos ad diligenter orandum excitare nostra necessitas. Solæ enim preces sunt fulcrum, quo infirmitas nostra fulcitur & sustentatur. Omnia quæ infirma sunt, indigent fulcimento, quo sustentantur. Cæcus baculo, ægrotus alimento, arbor irrigatione, ulcus ardens refrigeratione. Hæc omnia nos sumus propter peccatum. Oratio ergo nobis est baculus, alimonia, irrigatio, refrigerium. Et cuiusque rei tam in spiritualibus quam in corporalibus indigni sumus, illam, si nobis proficit, per orationem impetrare possumus. Est enim precatio longa illa fidei manus, quæ nubes penetrat Syr. 35. v. 20. & quam in cœlos usque extendimus, ut à cœlesti Patre necessaria accipiamus. Si quis indiget sapientia, petat à Deo, & dabitur ei. Jac. 1. v. 5. Si tristatur quis, oret. Jac. 5. v. 13. Infirmatur quis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, & allevabit eum Dominus v. 14. Si quis querat pacem civitatis, in qua habitat, ut in ejus pace etiam sit sibi pax, oret pro ea ad Dominum. Jer. 29. v. 7. Si quis nolit intrare in tentationem, oret, Luc. 22. v. 40. Si quis nolit malum facere, sed potius bonum, ne sit ex reprobis oret Deum. 2. Cor. 13. v. 7. Si quis cupiat, ut charitas sua magis abundet in scientia & in omni sensu, oret. Philip. 1. v. 9. Si hostes alicui detrahant, oret cum Davide, Psalm. 109. v. 4. Pro remissione peccatorum, oret quisque Christianus cum omnibus sanctis tempore oportuno. Psalm. 32. v. 6. Si quis optat, ut sermo Dei currat, & glorificetur in toto mundo, oret. 2. Thess. 3. v. 1. Moriturus cum Stephano, per precationem animam suam commendat Deo, redemptori suo. Psal. 31. v. 6. Quia autem nescimus, quando Dominus venturus, nosque evocaturus sit; vigilemus & oremus omni tempore, ut digni reperiamur stare coram filio hominis. Marc. 3. v. 33. Sed quid multis verbis opus? In precationibus nos jugiter exerceamus. Sicut enim (inquit Hugo) nullum est momentum, quo homo non fruatur Dei misericordia: ita etiam nullum momentum debet præterire sine Dei memoria. Ita ut omne tempus, quo non de Deo cogitamus, nos perdidisse reputare debeamus. Hac de causa Christus Cant. 8. v. 13. Ecclesiæ suæ valedicens, inquit: Quæ habitas in hortis, fac me audire vocem tuam. Hoc nimirum postulat, ut piæ sive devotæ mentes sibi per preces loquantur. Et addit: amici auscultant. q. d. Angeli attendunt ad concentum precum: quia Deo nulla *ενοχουσία* sive Harmonia, quam publicæ Ecclesiæ preces, est suavior. Matth. 18. v. 19.

Cæterum plura sunt, quæ ad *πράξις* & exercitium precationum pertinent, quæ Christus duabus parabolis exprimit: quarum una ab amico erga amicum, altera à patre erga filium, tanquæ argumentum à minori ad majus, sumpta est. In prima inducit duos amicos sive vicinos, quorum uni improvisus hospes advenit, ut etiam *media nocte* panes petiturus alterum adire coactus fuerit. Vicinus licet amicitia nullam rationem habiturus fuisset, impor-

importunitate tamen alterius se permoveri passus est, ut tantum ipsi daret, quantum ei opus esset. Multo plus ergo docet Deum nostris precibus annuicurum, cum nullum tempus ipsi importunum sit nos audiendi. In altera parabola introducit patrem *Οὐλοσσορον*, qui natura erga liberos suos ita affectus est, ut convenientem & necessarium victum ipsis libenter subministraret: & quamvis non semper largiatur quod filii petunt: nunquam tamen noxium vel perniciosum cibum dare solet. In his duabus parabolis multa latent, quæ ad *negotium* & exercitium precandi pertinent, nos præcipua evolvere studebimus.

1. Primo monent hæc parabola quando sit orandum. Et quidem Luc. 18. v. 1. vult Christus nos semper atque indefinenter orare. Unde etiam nos liberos nostros affluenciamus, ut mane & vespere cubitum euntes & cubito surgentes ante & post cibum, in ingressu & egressu templi orent. Sed multis idem evenire solet, quod filio prodigo Luc. 15. v. 13. qui dum haberet unde sumptus faceret, nunquam cogitavit de domo paterna. At postquam egestatem & famem pertulisset, ibi tum demum ad patrem rediit, & humiliter oravit. Sic multi in gaudiis, deliciis & voluptatibus constituti non orant. Postea vero ingruente calamitate & angustiis, reformidant os & manus at tollere ad cœlestem patrem. Proprium enim cor ipsos condemnat, quod quem tempore felicitate neglexerunt, ad eundem in necessitate constituti recurrere non audent. Ad hæc parabola docet in omni necessitate ad Deum per preces confugiendum esse. Etenim *amicus qui de via venit*, sive hospes, denotat improvisam necessitatem, quæ ingruit. Nam etiam vulgo nos Germani sic loquimur, de quavis afflictione, de morbo, peste, paupertate, bello & ipsa morte, nos novum & incommodum hospitem nactos esse. *Wir haben einen bösen Gast bekommen.* Quin & ipsi pravi affectus atque noxiæ cupiditates peregrinis hospitibus conferri possunt, sicuti Nathan id fecit oram Davide. 2. Sam. 12. v. 4. Quotiescunque igitur talis aliqua, sive spiritualis sive corporalis necessitas advenit, toties absque intermissione preces ad Deum sunt expediendæ, pro ferendo auxilio. Quemadmodum enim ii, qui in arce aliqua ab hoste sunt obsessi, nullum præstantius remedium habent, quam ut protinus nuncium ad Regem suum mittant, quo ipso subsidium ferente hostis fugatur. Sic nos à multis hostibus circumvallamur, & variis diaboli, mundi atque carnis tentationibus agitamus, multis denique laboribus, infirmitatibus & afflictionibus subjecti sumus, nullumque in nobis præsidium habemus, præsentissimum itaque nostrum remedium est, absque mora nuncium mittere ad Regem cœli, piam nimirum & devotam precationem, quæ ipsius regiam *pulset*, auxilium *petat*: subsidium *quærat* & ferat.

Hoc fecerunt omnes sancti, in omni necessitate. Abrahamus carens hærede, Gen. 15. v. 4. Isaacus in sterilitate Rebecca, Gen. 25. v. 21. Jacobus timens fratrem Esau, Gen. 32. v. 11. Israelitæ oppressi in Ægypto, Exod. 2. v. 23. Moses ad mare rubrum, Exod. 14. v. 15. Josue introducturus Israelitas in terram Chanaan, Jos. 5. v. 13. Gedeon liberaturus Israelitas ex manu Midianitarum, Iud. 6. v. 36. Sam-

son laborans siti, Jud. 15. v. 18. Samuel in suis persecutionibus 1. Sam. 12. v. 17. David quoties tribulabatur, Ps. 5. v. 5. Salomon cum templum ædificasset, 1. Reg. 8. v. 15. Elias cum ipsis esset cum Baalitis, 1. Reg. 18. v. 36. Iosaphat cum bellis fatigaretur, 2. Par. 20. v. 12. Ezechias, cum Hierosolyma ad deditionem sollicitaretur, Jes. 37. v. 16. Manasses tyrannidis veniam petens, 2. Par. 33. v. 13. Tobias in cœcitate, Tob. 3. v. 1. Judith in obsidione Bethulia, Jud. 9. v. 2. Esther regina in afflictione populi sui, Esth. 4. v. 16. Tres pueri in fornace ignis ardentis, Dan. 3. v. 25. Daniel in lacu leonum, Dan. 6. v. 22. Judas Maccabæus prælium initurus, 1. Maccab. 7. v. 41. Centurio, Matth. 8. v. 6. Regulus, Joh. 4. v. 47. Chanaanæ, Matth. 15. v. 22. Cæcus, Luc. 18. v. 39. Lætro in cruce, Luc. 23. v. 42. Ipse Christus, Hebræ. 5. v. 7. Ecclesia denique conjunctim pro Petro, cum ab Herode in custodia detineretur, Act. 12. v. 12. Hæc exempla & alia quam plurima monstrant, quomodo in quavis necessitate nuncius precum ad Deum sit ablegandus. Nec putemus ullum tempus inconueniens esse. Nam si maxime id fiat *media nocte*; tamen id non est intermittendum. *Nox* hic denotare potest tempus necessitatis. Sicut Jersaias dicit, cap. 26. v. 9. Anima mea desiderat te in nocte, hoc est, tempore necessitatis, angustiarum & tribulationis. Christus autem hic notanter dixit *media nocte*. Nam eo tempore homo omnibus negotiis diei transactis se quieti dedit, & non nisi invitus ad boni amici vocationem de lecto vult surgere. Tunc enim nemo non est, qui in prima noctis quiete non moleste ferat somni interruptionem. Vult ergo Christus dicere: Si amicus quispiam tempore tam intempestivo, tamen ad amici ostium pulsantis vocem surgit, illiusque necessitati succurrit: quanto magis Deus illud facturus est, cui nullum unquam tempus est importunum?

2. Quod vero Christus adducit parabolas *de amico & de patre*, eo ipso nobis aliud membrum commendat, quod in praxi & usu precationum est observandum: nimirum, ut operam demus, quo Dei sumus *amici & dilecti filii*. Et sane initio Deus nos creavit, ut ejus filii & amici essemus. Sed jam post lapsum natura sumus inimici, Rom. 5. v. 10. sumus filii iræ, Eph. 2. v. 3. Per pœnitentiam autem & fidem in Christum ipsi reconciliamur, ut pacem habeamus ad Deum, Rom. 5. v. 1. Quotquot enim Christum receperunt, his potestatem dedit filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus, Joh. 1. v. 12. Quapropter oraturus, ante omnia operam det, ut vivat in pœnitentia, hoc est, in agnitione & contritione suorum peccatorum, in vera fide in Christum, & in proposito vitam emendandi. Tum enim Deus nobis *amicus* est, qui nos per filium dilectum diligit, & salutis nostræ est apperentissimus. Est nobis *vicinus*: quia cœlum & terram ipse implet, & non est Deus de longe, Jer. 23. v. 23. Prope enim Dominus adest omnibus invocantibus eum; omnibus invocantibus eum in veritate, Psal. 145. v. 18. Idem etiam est noster *pater*, qui nos alit, pascit, potat, vestit, & omnes creaturas tam visibiles, quam invisibiles, adeoque ipsos angelos ad ministerium nostrum creavit, Hebr. 1. v. ult. Imo est plus quam *pater*, quia quando pater & mater deserunt nos, Dominus assumit nos, Psal. 27. v. 10. Qui vero in peccatis sine pœnitentia vi-

vunt & pergunt, non est quod illi quicquam se à Deo precibus suis impetrare posse sperent. Nam Deus voluntatem timentium se faciet, dicit David. Ps. 145. v. 19. Et scimus quod Deus peccatores non audit: sed si quis Dei cultor est & voluntatem ejus facit, hunc exaudit. Ioh. 9. v. 31. Ideo Salomon dicit Proverb. 28. v. 9. Qui declinat aures suas, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Et Deus ipse Prov. 1. v. 24. Quia vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: cum venerit super vos tribulatio & angustia, tum invocabunt me, & non exaudiam: mane exurgent & non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam. Et Ies. 1. v. 15. cum multiplicaveritis orationem non exaudiam, man<sup>o</sup> enim vestra sanguine plenæ sunt. Si quis beneficium abs te petiturus te accederet, & afferret manus sanguine filii tui tinctas, num quicquam ipsi daturus esses? Absque dubio, ira & indignatione commotus, eum à facie tua removeri juberet. Qua igitur fronte impœnitens peccator, qui impia vita & nefariis flagitiis indies filium Dei sibi metipsum crucifigit, sperabit se à Deo aliquid impetrare posse? Removeat prius peccata per seriam pœnitentiam, & postea precaturus Deum accedat. Ideo Iesaias dicit, cap. 1. v. 16. Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere perverse, discite benefacere, & venite. Syr. 38. v. 9. Ora Dominum, & avertete à delicto, & manus tuas emunda. Iac. 4. v. 8. Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores: & purificate corda. Ioh. 2. v. 13. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum. 1. Tim. 2. v. 8. Levate puras manus sine ira & disceptatione.

Hoc modo Anna oravit ex multitudine doloris & mœroris sui. 1. Sam. 1. v. 16. Sic Manasse cum captus teneretur in Babylone. Sic David Ps. 6. v. 7. Sic Daniel, cap. 9. v. 5. Sic Publicanus. Luc. 18. v. 13. Sic Petrus amare flevit. Matth. 26. v. 75. Hoc sacrificium Deo est gratum: nimirum spiritus contritulus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet Ps. 51. v. 19. Ideo Deus dicit Ies. 66. v. 2. Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum & contritum spiritu, & tremementem sermones meos? Supra diximus precationem esse nuncium ad Deum pro ferendo auxilio ablegatum. Si hic nuncius celer esse debeat, ut mature ad regem cœlorum perveniat, tum tolle peccatorum onera & pondera, rejice amorem mundi, terrena & mundana relinque, & eo velocius oratio tua ad Deum perveniet.

3. Quid sibi volunt *tres panes*? Quid tria illa filiorum petita, *panis, piscis & ovum*? Quidam hic arguantur, & per *tres panes*, intelligunt Patrem, Filium & Spiritum sanctum. Alii tres cardinales virtutes: fidem, spem & charitatem. Alii dicunt hisce tribus, patientia, fide & consilio, nos sublevari in omni necessitate, & tribus hisce nobis opus esse. Sed ejusmodi mysteria Christus in hoc ternario numero non abscondit: quin potius aliam quandam conditionem, quæ in exercitio & usu precum attendenda est, monstrare voluit. Nimirum petitiones nostras in precatione sic formandas esse, ut æquitati, pietati, utilitati & necessitati nostræ sint conformes. Si cuidam amicus unicus, famulo

comitatus veniat, & is à vicino quinquaginta vel septuaginta panes peteret: annon eum impudentem postulatorem esse diceremus? At *tres panes* homini venienti ex itinere, ejus famulo & ipsi hospiti ad cœnandum sufficere poterant, ut tamen post cœnam aliquid superesset. Veteres enim tales panes coquebant, quorum unus homini ad cibum diurnum sufficiebat. Vult ergo Christus monstrare petitionem decentem & convenientem esse debere. Sic si filius infans à patre petat talentum auri, is se fatuo ingenio esse proderet. At si petat *panem*, vel *piscem*, vel *ovum*, tum petit id, quod ad sustentationem ipsius est utile & necessarium. Eodem modo si ego à Deo petere vellem Imperium Turcicum, aut totum mundum, quis me non mente motum diceret? At si ab ipso postulem cum Elisæo 2. Reg. 2. v. 9. spiritum Chemnitii duplicem, ut hanc Harmoniam Evangelicam (prout cœpi) feliciter atque utiliter pertexere & ad finem perducere queam, nihil iniqui postulo, sed illud quod facit ad ædificationem Ecclesiæ. Nam & Christus ipse hic dicit: *pater vester cœlestis dabit spiritum sanctum petentibus se*. Vult ergo Christus monere, ut in *πράξι* precationum petitiones nostras ita informemus, ne coram Deo impudentiæ, fatuitatis aut insaniam accusari queamus. Et quia nos nescimus, quid orare debeamus sicut oportet. Rom. 8. vers. 26. Ideo ipse nobis formulam precationis, septem petitionibus comprehensam, præscripsit: in qua monstravit quinam sint illi *panes, pisces & ova*, quæ confidenter ab ipso petere audeamus.

Ubi tamen simul etiam hoc observandum est, non semper opus esse, ut omnes septem petitiones Deo proponantur, sed licere, pro re nata & sic postulante necessitate, unam atque alteram (tanquam *duos panes* aut *panem & piscem*) proponere & petere: utpote tales, quæ instituto præsentis servant. Verbi gratia. In templum abiturus, urgeat primam petitionem: à templo rediens, in manus sumat secundam & tertiam. Ingressurus curiam, secum repetat quartam: transfactus cum proximo, vel lites inter partes compositurus, sibi proponat secundam & quintam. Si quis in convivio lætiori assideat sodalitis pravo, vel comptis mulierculis, is meditetur sextam petitionem. Ingressus novam functionem vel iter, non obliviscatur septimam petitionis. Atque sic pro diversitate necessitatum, diversimode etiam precationem suam quisque instituat: & hoc est vel *panem*, vel *piscem*, vel *ovum*, pro diversa valetudine corporis, aut pro diversa necessitate animæ petere. Quodcumque autem quis petat, det operam ut personæ suæ convenientia petat, sicut sub *panis* nomine Hebræis venit omnè illud, quod ad corporis conservationem est necessarium. Salomon eleganter illud exprimit Proverb. 30. v. 8. ubi paupertatem deprecatur, nec tamen divitias appetit, sed *תחתיו* portionem & demensum suum postulat. Græci reddiderunt *τὸ δέον καὶ τὸ ἀνάγκη*, sem bescheiden & heil Speisse. D. Paulus 1. Timoth. 6. v. 8. vocat *ἀναγκαῖα καὶ ἐσθίασμα*, alimenta & vestimenta. Vocabulum enim *τὸ* statum, certa regula & norma præscriptum, significat: quemadmodum Proverb. 31. v. 15. prudens fœmina dicitur familiæ suæ dare certam portionem. Ita Deus in magna sua domo,

domo, in hoc nimirum mundo, jam decrevit, quali portione donorum & bonorum suorum quemvis, ad publicam utilitatem, instruere velit. Hanc si Christianus à Deo petat, non dubitet se certo eam accepturum.

4. Hic vero experientia rerum huic promissioni repugnare videtur. Etenim non raro fit, quod aliqui satis diu precantur, vel in morbo, vel in egestate, vel in persecutione, vel in alia aliqua necessitate, nec tamen ullum levamen, nedum opem aut auxilium sentiant. Ubi ergo manet Christi promissio de exauditione? Et hæc est magna precum remora, ubi vel Deum gravioribus occupationibus districtum, vel nos inferioris conditionis esse arbitramur, quam quorum curam Deus suscipere velit. Unde multi homines sunt instar puerorum, qui, si quando aliquid exigui momenti ipsi ex manibus eripias, mox ira perciti, reliqua etiam quæ super sunt, longe abs se projiciunt, & irati abeunt. Contra hos quarta conditio, quæ in usu & exercitio precum teneri debet, attendenda est. Nam Christus ipse illum Dei morem hic nobis adumbrat, in priorè parabola amici illius, qui ostium suum occlusisse, & dormire dicitur. Nam et si custos Israelis, nec dormit, nec dormitat. Psalm. 121. v. 4. tamen in diuturnioribus miseris & afflictionibus, cum quibus aliqui interdum confliantur, ubi nullum auxilium, imo ne spes quidem liberationis apparet, Deus dormire & ostium misericordiae clausisse videtur. Sic certe David Ps. 77. v. 6. lamentatur. Cogito dies antiquos: meditor, & investigat Spiritus meus. Nunquid in æternum projiciet Deus? & non amplius placabilis erit? num finis erit omnino misericordiae ejus? abolita est promissio in omnem posteritatem? aut obliviscetur misereri Deus? aut conclusit in ira sua misericordias suas? Imo tum etiam omnes pueri ejus cum ipso sunt in cubiculo, id est, omnes creaturæ cum ipso quiescunt, dormiunt, nec quicquam nos juvare, aut nobis prodesse volunt. Quoties enim evenire solet, ut illi, qui in egestate vivunt, nulli labori, nulli industriae parcant, & tamen non ex inopia emergere possunt? Alii in morbis diuturnioribus iisdem utuntur mediis, quibus alii servati sunt, & tamen nihil proficiunt. Sic nonnunquam in adversitatibus omnia consilia fallunt, quæ præsentissimum auxilium polliceri videbantur. Hic certe Deus nobis dormire & ostium misericordiae clausisse videtur. Ergo in exercitio precum perseverantia opus est, ut quemadmodum Patriarcha Iacobus Gen. 32. v. 26. luctans cum angelo, ei dixit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Sic nec tu Dominum dimittas, quoad usque petitionem tuam adimpleat. Ideo etiam Ecclesia Cant. 3. v. 4. de Christo dicit: Inveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum. Iccirco Dominus, etiam benedicere renuens, tenendus est. Nam ut recte dixit Anselmus, sæpe Dominus differt, ut excitet magis appetitum. Non enim differt eo, quod non dare velit: sed ut aucto desiderio abundantius dari possit.

Illustre hujus perseverantiae exemplum habemus in Chanaanæ, Matth. 15. v. 28. de qua recte Sedulius pronuntiavit: vox humilis, sed celsa fides, quæ vel ipsum omnipotentem Deum vincere potuit. Quid enim quæso in universo terrarum

Harm. Tom. I.

orbe tam invictum, quod non precum robur expugnare possit? Oratio mare findit & in eo tutum iter præstat. Exod. 14. v. 21. solis cursum sistit. Ios. 10. v. 13. Ignis flammæ coercet. Dan. 3. v. 25. famelicorum leonum ora cohibet. Dan. 6. v. 22. balenæ os aperit, ut mari sepulchrum prophetam terræ restituat. Jon. 2. v. 11. pluviam arcet, & eandem reddit. 1. Reg. 17. v. 1. & 18. v. 42. catenas frangit, compedes diruit & clausum carcerem aperit. Act. 12. v. 7. mortem fugat. Ies. 38. v. 3. invincibilem denique Deum vincit, ne furorem iræ suæ effundat. Exod. 32. v. 11. Unde recte Iacobus dixit cap. 5. v. 16. Multum valet deprecatio iusti assidua. Assidua esse debet nostra oratio, si quid à Deo impetrare velit. Et hoc Christus in parabola innuit, dum dicit: dico vobis, etiam si non dabit illi surgens, eo quod amicus ejus sit, propter improbitatem tamen ejus surget, ac dabit illi, quotquot habet opus. Vult dicere. Si tantum valet instans precatio amici apud hominem amicum, ut nihil ipsi negare possit, licet importuno tempore eum accesserit, licet quoque non moveatur respectu amicitiae, tamen improbitate & perseverantia victus dat quod petit; quanto magis eadem valebit apud Deum, qui hominibus est amicissimus, & cui nullum tempus est importunum, si modo quis precando instet? Dico vobis, dabit plus quam petierat. Amicus enim petiit tres panes, & dati sunt ei tot, quot opus habuit. Anna petiit filium, 1. Sam. 1. v. 11. & accepit insignem prophetam Samuelem. Judith petiit liberationem ab hostibus: & ipsa in super ditata est ex spoliis eorum, Iud. 9. v. 1. & 15. v. 14. Esther tantum petiit conservare suam & Iudæorum vitam, & ecce in super accepit universam domum Hamani. Esther 8. v. 1. Chanaanæ petiit filiam à dæmonio liberari, atque in super ipsa consecuta est insignem fidei suæ commendationem. Matth. 15. v. 28. Sic videmus quod Deus longe benignior & liberalior sit in largiendo quam nos in petendo, dummodo precando instemus: & dat quantum opus est. Quantum autem indigemus? Quantum prodest ad gloriam Dei, ad salutem nostram æternam, & ad temporalem sustentationem. Pluribus nobis non est opus.

5. Sed nondum acquiescit cor humanum precandi exercitio deditum. Interdum enim observat illorum exempla, qui diu multumque precantur, verum id quod petunt nunquam assequuntur. Hinc etiam ipsi in precando desideria fieri volunt, existimantes omnem laborem precandi esse frustraneum. Et quidem Christus non negat, interdum precatoribus denegari id, quod petierunt: si nimirum ex imprudentia petant id, quod ipsis noxium sit. Sicuti ipse fecit filiis Zebedæi Matth. 20. v. 22. Nescitis quid petatis. Ac proinde etiam hic in secunda parabola nos remittit ad naturalem sensum parentum. His innatum est, ut si maxime liberis parvulis, qui adhuc per ætatem non intelligunt, quid ipsis vel prosit, vel obsit, non largiantur quod petunt; tamen ipsis nihil noxii dant, non lapidem pro pane, non serpentem pro pisce, non scorpionem pro ovo. Atque hæc dicendo innuit Christus, si quando cœlestis ipsius Pater alicui aliquid negat, quod id propterea faciat, quia prævideat istud ipsis noxium, aut saltem non necessarium futurum. Sic vero novam conditionem tradit, quam in precationum exercitio attendere debemus.

Dddd 3

Nimi-

Nimirum, quia duplicia sunt bona, alia sunt corporalia, alia spiritualia: ideo etiam cum discretione petitiones nostras de illis Deo cœlesti Patri proponendas esse. In corporalibus nescimus quid nobis prosit, quid obsit. Interdum aliquid pro pane habemus, & lapis esse potest. Suavis est homini, dicit Salomon Prov. 20. v. 17. panis mendacii, sed tandem os ejus lapillis implebitur. Interdum aliquid pro pisce vel ovo habemus, & ecce esset nobis serpens vel scorpium, si nancisceremur. Iccirco talia bona sunt cum conditione petenda: si vergant ad Dei gloriam & nostram salutem. 2. Sam. 15. v. 26. David ex regno ejectus in Dei manus resignat, utrum ipsum reducere, an vere in exilio relinquere velit. Paulus Phil. 1. v. 23. ipse incertus est utrum eligere debeat: an, ut ex carne liberetur, & sit cum Christo: an vero, ut diutius in carne maneat. Ideo discipuli ei valedicentes Actor. 21. v. 14. dicunt: Domini voluntas fiat. Sic & nos voluntati divinæ plane & plene resignemus, ut in corporalibus faciat secundum beneplacitum voluntatis suæ. Et si negativum responsum accipiamus, non ægre feramus, sed simpliciter statuamus, illud quod petimus, nobis noxium futurum fuisse, si accepissemus. Nam si Deus talia dat & largitur, tum dat in poenam. Sicut Israelitis Numer. undecimo v. 33. carnes: sed dum carnes adhuc erant in dentibus eorum, percussit eos plaga magna nimis. Eadem ratione dedit etiam ipsis postulantibus regem, ut habetur Ose. 13. v. 11. Dedi tibi regem in furore meo: & in indignatione

mea auferam. Moses libenter ingressus esset cum populo Israelitico terram Chanaan: verum quia Deo aliter visum erat, acquievit in voluntate Dei, & mortuus est in monte Nebo. Deut. 34. v. 1. Jonas quoque cap. 4. v. 5. non oravit secundum voluntatem Dei, cum optaret interitum urbis Ninive, ac proinde à Deo est reprehensus.

Spiritualia autem bona, licet corporalia longissimo intervallo post se relinquunt, tamen sine conditione petere audemus: quia certum est Christum ea nobis impetrasse, & Patrem propter ipsum nobis ea darurum esse. Ideo hic dicit: *dabit spiritum sanctum poscentibus se.* Petenda autem sunt hæc bona in nomine Christi. Hunc enim Deus proposuit propitiatorium per fidem in sanguine ejus. Rom. 3. vers. 25. Ideoque si peccata nostra essent ut coccinum, quasi nix dealbarentur. Jes. 1. v. 18. Quia Deus juravit: Vivo Ego dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur à via sua mala, & vivat. Ezech. 33. v. 11. Habentes ergo fiduciam in sanguine Christi, accedamus cum vero corde, in plenitudine fidei, aspersi corde à conscientia mala, & abluti corpus aqua munda. Hebræorum 10. vers. 19.

Hæc de doctrina precatationis, tam quoad formulam, quam quoad *πράξιν* aliquanto plenius dicenda visa fuerunt. Ut lectores prudentes occasionem haberent diligentius expendendi quomodo doctrina precum cum earundem exercitio in Ecclesiâ vera quam diligentissime sit conferenda & conjungenda.

## CAPUT CVIII.

### CONTINENS MIRACULUM EJECTI DÆMONII MUTI.

LUC. 11. v. 14.

#### RATIO ORDINIS.

**P**ostquam Christus in secessu preces suas absolvisset, suosque discipulos, tum de forma precandi, tum de ejus exercitio instituit, mox ad hominum multitudinē rediit. Quia enim in mundū venerat, ut miseros mortales de voluntate cœlestis sui Patris informaret, & à Satanæ potestate redimeret, omnino inter homines versari debuit, ne ignotus negligenter. Et certum est, hæc, quæ sequuntur, in populosa aliqua civitate facta esse, sicuti omnes circumstantiæ id monstrabunt, sive illa in Judæa, sive in Galilæa sita fuerit. Describitur autem hic insigne miraculum, quo Christus suam adversus Diabolum potentiam testatam reddere voluit: siquidem eum ex misero homine pepulit, utcumque invitus cesserit. Subjungitur etiam disputatio de sublimibus quibusdam articulis doctrinæ Christianæ: veluti, de regno Diaboli & regno Christi, quomodo se invicem illa duo regna persequantur, & Christus Diaboli regnum evertat: de fine & usu miraculorum, qui est, ut regnum Dei ad nos veniat, & fortis armatus ligetur: de neutralibus,

qui neque Christo neque Phariseis adherent, neque calidi neque frigidi sunt in religionis negotio: de vero verbi Dei auditu & conservatione: de signo Ionæ ad poenitentiam hominibus dato. Quia vero consimilem per omnia historiam, capite LIX. hujus Harmoniæ ex 12. cap. Matthæi, & 3. cap. Marci tractavimus, non opus est hic prolixè eadem repetere. Nam multi sunt, qui hanc Lucæ descriptionem eandem cum illis duorum reliquorum Evangelistarum descriptionibus esse arbitrantur, ac proinde in Harmonia conjungunt. Sed in superioribus demonstratum est, Matthæi & Marci descriptiones cum præcedentibus historiis sic coherere, ut ab illis divelli nequeant. In sequentibus autem audiemus Lucam diserte testari, quod cum Christus adhuc loqueretur, Phariseus quidam eum rogavit, ut pranderet apud se. Proinde hæc historia à subsequenter avelli nequit, atque sic peculiarem in Harmonia locum requirit. Neque incredibile est, Christum idem miraculum sæpius diversis temporibus & diversis locis edidisse, atque eandem calumniam etiam secundo adversus ipsum iteratam